

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGI
DE SACRAMENTIS

Disputatio Duodecima

De

BAPTISMI AT.

TRIBUTIS, quod sit unus, necessa-
rius, & non reiterandus.

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S.Theol.D.&P.P.Magnifici p.t.Rector,

In Collegio privato examinandam

proponit

M. FRIDERICUS SHÖNINGIUS

Sedino - Pomeranus.

*Habebitur ad diem 29. Octob. horis pomeridianis
in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XX

COLLEGI

DI. SACRAMENTIS

Dipluratio Dno. d. n. m. s. p. a. s. i. s. s. e. n. s. i. s.

DE

BAPTISMI A. T.

TRIBLITS, quod in unum necessis

ius & non iterandus

Summa

Adversus J. H. O. V. I.

et in R. E. S. P. O.

Dr. BALTHASARIS MEISSNERI

S. Theol. Magistri et Rectoris

In Collegio pro octo examinandum

proponit

M. ERIDERICUS SHÖNINGIUS

Secundo. Pomislanus.

Habebitur ad diem 9. Octob. hora pomeridiana

in aula pro ministerio



WITTEBERGA

Ex Officina Johannis Gorkmanni

ANNO M. DC. LXXV.



נידור

Discussis hactenus satis super-
que causis baptismi essentialibus, justo
ordine ad ejusdem attributorum dia-
σκειψιν devolvimur, quam, bono cum
DEO, hac disputatione pro modulo nostro dabimus ex-
peditam. Ne autem ἀμεθοδως in hoc negotio verse-
mur. 1. baptismi Unitatem. 2. ejusdem necessita-
tem demonstrabimus, ultimò adnectentes hujus quæ-
stionis enodationem. An baptismus reiterari possit.

I. In nono August. Confessionis art. unum duntaxat
numero & specie baptismum Ecclesiæ nostræ confiten-
tur. Cui & suffragantur patres Concilii Nicæni: ὁμο-
λογῶ ἐν βαπτισμῶ ἐἰς ἀφ᾽ ἑσῆν ἀμὰ πλῆθῶν.

II. Corrobaramus autem nostram sententiam. 1.
Scripturæ authorite Ephes. 4. 5. Unus Dominus, una
fides, unum baptisma. Tale exinde struimus argum.
Quodcunq; ita est unum, ut DEUS est unus, & fides
una, id simpliciter unum est nec in duo distrahi oportet.
Baptismus est talis. E.

III. 2. Sacramentali unione. Quæcunq; unione
Sacramentali copulantur, illa divelli & separari fas
non est. Aqua & Spiritus S. in bapt. unione sacramen-
tali copulantur. E. Min. prob. Matth. 28. 19. Iohan. 3. 5.
Ephes. 5. 26. ubi Evangelista & Apost. non in sensu diviso
baptismum definit lavacrum aquæ, sed in sensu con-

juncto dicit regenerationem fieri ex aqua & Spiritu,
lavacrum aquae esse in verbo.

IV. 3. Cujuscunque Sacram. natura & condi-
tione. Omne Sacr. N. T. constat re terrena & caelesti.
Baptismus exterior solius aquae non constat re caelesti,
baptismus Sp. interior non constat re terrestri. E.

V. Hanc nostram confessionem oppugnant 1. Calvi-
niani baptismum duplicem externum nim. & inter-
num fingentes, quorum illum volunt esse nudam aquae
aspersione, habentem solam $\chi\epsilon\omicron\upsilon\nu$ & significatio-
nem, hunc vero immediatam Spir. S. baptizatum rege-
nerantis actionem; quod vel fiat ipso tempore baptismi,
ut in adultis, vel futurum sit postquam infantes adole-
verint fidemq; ex auditu hauserint. Beza p. 2. resp. ad
Col. Mom. p. 44. 45. Piscator sup. c. 3. Matth. Bucanus
l. de bapt. q. 3. p. 608. Ursinus in Catech. p. 417. Polanus
in synt. p. 440. & passim alii.

VI. Ne autem unitatem baptismi plane sustulisse
videantur, multifariam excipiunt. Baptismum $\sigma\upsilon\nu\omicron\lambda\omicron\varsigma$
consideratum unum esse, duplicem vero $\kappa\tau\ \mu\epsilon\gamma\eta$.
Beza l. d. & p. 46. Bucanus unum specie dicit esse bap-
tismum, verum respectu operationis duplicem internum
& externum.

VII. Contra. Quicunq; baptismi differunt 1. causa
efficiente. 2. finali. 3. effectu. 4. medio. 5. subjecto. 6. tem-
pore. 7. tota definitione, illi non sunt duo partiales ba-
ptismi, multo minus unus baptismus unumq; Sacra-
mentum. Taliter autem se habet baptismus externus
& internus Calvinisticus. E. Minor ex propriis Calvi-
nianorum hypothesebus patet. 1. Externi causa eff. mi-
nister

nister est, interni Christus per Sp. S. 2. Externus nudam
significationem cum obfignatione denotat. Internus ve-
ram realemq; obfignationem. 3. Externo corpus ablu-
tur interno anima purificatur. 4. externus fit aqua, in-
ternus sanguine Christi. 5. nonnullis enim ut electis u-
tramq; ablationem conferri docent, aliis vero nempe
reprobatis externam solum. 6. quia externum dicunt
peragi in infantili etate, internum v. quibusdam nun-
quam contingere, quibusdam vero, demum in adultâ
etate. 7. Externus est ablatio sordium corporis, Inter-
nus purificatio sordium animæ. De quibus omnibus vide
sis Bezam part. 1. p. 24. part. 2. p. 52.

VIII. Oggannit ulterius Beza p. 44. Num quæso,
inquit, unum hominem in duos homines dividimus,
cum ex duobus componi totum hominem unum dici-
mus corpore vid. & animâ, aut plures numero animas
esse sentimus, cum hominem exteriorem & interio-
rem in uno eodemq; subjecto consideramus. Respondet
autem illa animæ & corporis distributio ad amissim
istis baptismi, imò omnium Sacram. partibus essentia-
libus.

IX. Sed fallis & falleris Beza. Tantum enim abest
ut hæc exempla respondeant, ut potius toto celo à ba-
ptismi tui partibus distent. Ex anima & corpore tan-
quam partibus duabus simul junctis unus componitur
homo, de utroq; pars essentialis $\sigma\upsilon\upsilon\omega\nu\mu\omega\varsigma$ prædicatur,
& ab utroq; unus homo denominatur. Ast ubi hæc in
baptismi externo & interno?

X. Multò minus quadrat huc distinctio Apost. in ho-
minem exteriorem & int. Non enim duplex ille homo

partes sunt unius totius hominis. Sed unus idemq, totus homo secundum diversam considerationem status vel gratiae vel peccati, dicitur homo externus & internus. Est igitur haec divisio subjecti in sua accidentia non totius in partes.

XI. Nec quicquam roboris pro gemino baptismo stabiliendo scripturae dicta, quae Beza adducit, obtinere possunt. Aut enim non de baptismo proprie sic dicto, qui est Sacramentum, sed de Metaphorico miraculoso & extraordinario fluminis scilicet, loquuntur (Confer Actor. 1. 4 5. c. 2. 3. c. 11. 16.) vel si loquuntur magisterium Christi à ministerio Iohannis discernunt ut Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. & c. aut confundunt finem vel effectum Sacramenti cum ipsa substantia ut Deut. 10. 16. cap. 30. 6. Rom. 2. 28. 29. Col. 2. 11. vel aperte dogmati Calviniano contradicunt, ut 1. Pet. 3. 21. Petrus enim ablationem sordium non vocat baptismum, sed disertè per negationem eam à baptismo removet. Quis enim Apostolos à Christo balneatores constitutos esse putaret, qui sordes corporis tantum abluerent.

XII. Intricatiores res videtur cum baptismo hypocritarum. Illi namque non eo ipso momento, quo aqua baptismi tinguntur, regenerantur, sed longo post demum tempore in iis valere incipit ad salutem baptismus, cum hypocrisis seu fictio veraci confessione recesserit, uti loquitur August. l. 1. cont. Donat. c. 12. Atq, ita per baptismum longè ante susceptum regenerationis fiunt compotes, unde duplex videtur defendi posse baptismus. Sed respondemus. Ista regeneratio hypocrisae poenitentiam agentis non oritur ex residua aqua baptismi efficacia

faciã sed ex DEI ordinatione & benignitate, qui gratiam per baptismum semel oblatam nunquam pœnitenti vult denegare. Unde si adultus in baptismo gratiam sibi oblatam fide accipit, mox fructus baptismi redditur particeps, quæ tamen perceptio non est nova species vel pars baptismi, sed effectus fidei & pœnitentiæ.

XIII. 2. Pontificii, qui geminum baptismum, ex diversitate baptismi Christi & Iohannis arguere satagunt. Licet vero hodie nemo baptismo Ioh utatur, & ipse præteriti & quidem exigui temporis ceremonia sit, attamen, quia conciliabulum Tridentinum anathemate eos, qui diversum sentiunt, ferire non veretur, paulo altius in eum inquirere libet.

XIV. Statuimus igitur Baptismum Iohannis à baptismo Christi (quem ita nuncupo, non quod Christus ipsemet illum administravit, ipse enim non baptizavit Ioh. 4. 9. sed quia ad mandatum ipsius à discipulis eius collatus fuit) nec essentia nec effectibus sed externis saltem accidentibus & circumstantiis differre; his præsertim argumentorum freti momentis.

XV. 1. Baptismus Iohannis fuit Sacram. aut V. aut N. T. hæc duo enim mutuã successione tertium excludunt. Sed non fuit Sacram. V. T. Lex enim & prophætæ usq; ad Iohannem Matth. 11. 12. E. Ulterius. In N. T. aut duo sunt baptismi, aut Iohannis à Christi baptismo non est diversus. Sed prius falsum, posterius ergo verum.

XVI. 2. Quæcunq; causis essentialibus conveniunt re ipsa unũ sunt, Bapt. Christi & Ioh. ita conveniunt. E.

Min. prob. 1. Causa efficiente, quæ utriusq; baptismi
DELLS est. Ioh. 1. 33. Luc. 3. 3. Luc. 7. 30. Matt. 21. 25. Luc.
20. 2. 2. Materiali. Uterq; enim constat verbo & aqua.
Matth. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc. 3. 3. 3. Formali, quamvis
enim expresse non legatur, quod in nomine Trinitatis
baptismum administravit Iohannes, sicuti nec legitur,
quod Christi discipuli hoc fecerint, cum tamen eos hoc
fecisse nemo ambigat, facili tamen negotio demonstra-
ri potest. 1. A quo missus erat ad baptizandum Iohannes,
in illius nomine baptismum administravit. Sed à verò
DEO, qui est pater. F. & S. S. missus est. E. Nec enim mu-
tam ceremoniam baptismum Ioh. fuisse cum Bellarm.
opinamur, cum verbum sit quod anima baptismi Eph. 5.
26. 2. ex temporis consideratione, quo Christi & Ioh.
bapt. fuerit administratus. Ioh. 3. 22. 23. cum enim disci-
puli Iohannis de baptismo Christi apud præceptorem
conqueruntur, nullam tamen mutatæ formulæ faciunt
mentionem. Et quis 3. sibi persuaderi pateret, quod
Christus caput nostrum, alio & specie & forma à nostro
differente uti voluerit baptismo, quippe suo nostrum
non solum sanctificavit & ratum fecit, sed & nos cum
eo in unum corpus baptisati sumus, 1. Cor. 12. 13. Nil re-
fert quod Iohannes in ventarum Christum baptisasse-
scribitur Acto. 9. 4. Illa enim verba non de baptismo sed
de prædicatione Ioh. sunt intelligenda, quin & Iohan-
nes baptisavit in Christum venturum non ratione in-
carnationis, quandoquidem tum præsentem eam digi-
to monstrabat. Ioh. 1. 39. sed duntaxat ratione publici
ministerii, cum primis vero ratione officii redemptionis
per passionem & mortem; Quo respectu & discipuli
Christi.

Christi in venturum Christum baptisasse dici possunt,
exinde tamen inferre haut licet, specie differentem
fuisse baptismum discipulorum ante & post passionem
Christi. 4. Finali & effectu, quia uterq; fuit in remis-
sionem peccatorum, Matth. 3. 7. Marc. 1. 4. Luc. 1. 77.
c. 3. 7. Ioh. 3. 5.

XVII. Sed quid ad hæc Pontificii? Conc. Trid. p. 7.
de bapt. c. 1. ita intonat: Si quis dixerit baptismum Io-
hannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi ana-
thema sit. Bellarm. l. 1. de bapt. s. 20. hunc canonem ex-
plicaturus in 3. Propositiones dicæ πρῶτον nostre asser-
tioni contrarias eandem resolvit.

XVIII. 1. Prop. Baptismus Ioh. non fuit idem Sa-
cram. cum baptismo Christi. probat c. 29. quia baptis-
mus Iohan. ab ipso Ioh. institutus erat, qui in scripturis
passim notatu bapt. Ioh. Resp. Vocatur bapt. Ioh. non ra-
tione institutionis sed ratione promulgationis & in-
choationis.

XIX. 2. Prop. Bapt. Ioh. non habuit eandem vim
quam habet baptismus Christi. Prob. c. 21. Cum quia su-
um à Christi bapt. distinguit, Marc. 1. tum quia præcur-
sor Domini nuncupatur, qui viam saltē præparet, hoc
est, homines disponat ad recipiendum salvatorem. Re-
spon. ad 1. ex th. 11. liquet. In 2. Card. commit. fall. cause.
Non enim ideo vocatur præcursor, quod homines sal-
tem ad salutem præparavit; non eam actu ipsis annun-
tiant & dederit, sed quod pœnitentiam prædicando
homines ad tum modò præsentem Messiam excipien-
dum excitant & paratos effecerit ut monstrat series
textus Matth. 3. 2. Adjunxit autem hisce concionem de
remissione

remissione peccatorum & fide in Christum, Iohan. 1. 19.
Act. 19. 4. & tandem novam obedientiam urget Luc. 3.
8. in quibus tota nostrae salutis ratio consistit. Exinde
ita argumentamur. Quale fuit ministerium Ioh. in do-
cendo, tale & in baptizando. Sed verbi praedicatione
ipso actu hominum corda purgavit & remissionem pec-
catorum & salutem illis annunciavit. E. etiam baptis-
mi administratione. Haec enim doctrina & sacra-
menta pari passu ambulant & aequaliter sunt salutis
organa. Conf. Act. 18. 25. c. 19. 2.

XX. 3. Prop. post baptismum Iohannis necessario
fuisse percipiendum baptismum Christi. Prob. c. 22. ex
Acto. 19. 5. Nos varias huius loci expositiones, quae ab in-
terpretib. circumferuntur, silentio involvendo, respon-
demus breviter. Agi quidem in illo loco de baptismo Io-
hannis, nullos vero isto antea tinctos rebaptisatos legi.
Narratur enim duntaxat, quod Paulus ad universum
populum astantem de 12. Ephesis dixerit, quomodo a Io-
han. prius fuerint instituti & tandem in nomen Iesu
baptisati. Continua enim est oratio v. 4. & 5. & nullo
modo divellenda, quod constat ex particulis *καὶ* & *ἐν*
quae in oratione mutuo sequuntur, & altera alteri ne-
cessario respondet. Sed quia Bell. hanc explicationem
obscuritatis & violentiae arguit *ἐκ περιτομῆς* dicimus:
Esto, quot 12. illi ut & alii baptismo Iohannis tincti, ba-
ptismum Christi susceperunt, non tamen in eum hoc fe-
cerunt finem, ac si per baptismum Ioh. non acceperint
fidem, sed ut miraculosa dona consequerentur, quonia
haec plerunq. in baptis. Christi conferebantur, quo nihil
efficaciae bapt. Ioh. derogatur. Et quis tandem ex hoc spe-
ciali facto universale pronunciatum facere Bell. concessit?

XXI.

XXI. Hisce argutiis & calculum suum addunt Photiniani, Osterod. in inst. Ger. c. 20. Smalc. disp. 10. contra D. Frantz. p. 307. 308. Sed quia ex dictis facile iudicium fieri potest, hisce quisquiliis non diutius immorabimur, sed pergimus ad alterum nostræ disputationis membrum.

XXII. De necessitate baptismi; quam absolutam minime facim9, quippe infantes fidelium Christianorum tum etiam catechumenos adultos & credentes, absq; baptismo decedentes damnare velle, Pontificiæ crudelitatis non Christianæ charitatis indicium esset. Nec tamen eam ex mandati divini authoritate solum, verum ex alterius etiam mediæ absentia & nostra indigentia estimamus; hæc autem in ordinario salvationis modo & ubi baptismi usus conceditur locum habere opinamur.

XXIII. Ejusmodi igitur baptismi necessitatem sequentibus munitam exhibemus argumentis. 1. ex severa Christi asseveratione Ioh. 3. 5. Nisi quis & c. Vbi noto. Extreme necessitatis indicia. 1. Comminationem; quæ nō baptisatō ex regno cælorum excludit. 2. part. Nisi, quæ attributum in prædicationibus necessariò connectit. 3. Iuramentum Amen, Amen, quæ certitudinis & infallibilitatis nota. 4. Verbū impossibilitatis. Non potest. 5. Copulativam Et, quæ aquam cum Spiritu & utrumq; cum renascentia arctè copulat. 6. etiologiam subnexam. Quod ex carne, & c.

XXIV. 2. A necessitate circumcisionis, Qualis fuit ratio circumcisionis in V. T. talis & baptismi in N. T. Ast circumcisio ad salutem ordinariè consequendam summè erat necessaria. Gen. 17. 14. E.

XXV.

XXV. 3. Ab expresso Christi mandato Matt. 28. Quod Christus præcepit id citra jacturam salutis & Dei offensionem omitti nequit. Baptismus & talis. E.

XXVI. 4. A conjunctione fidei & baptismi. Mar. 16. 16. Si fides necessaria est ad salutem, & baptismus, quia utrumq; conjungitur & tam fidei quam baptismi salus ascribitur. 2. quia habent sese ut relatæ, quorum uno posito ponitur & alterum. Nam fidei objectum est promissio gratiæ quam DEUS in baptismi velut in offerente medio queri vult & apprehendi.

XXVII. 5. A necessitate finis, qui est remissio peccatorum, regeneratio, adoptio, & c. Si finis est necessarius utiq; & medium. Sed verum prius E. & post. Medium autem ordinariæ regenerationis aliud non est quam baptismus.

XXVIII. 6. Ab exemplis, quicumq; in Ecclesiam recipi & salvari voluerunt eos Apostoli ad baptismi perceptionem ablegarunt, Act. 2. 38. Act. 22. 16.

XXIX. Licet hæc solis radio scripta esse videantur, & hominem pium in sui consensum facile trahere possint, magis tamen quibusdam in mediâ luce cæcutiæ quam veritatis solem admittere volupe est. In horum censu sunt i. Calviniani, qui, etiamsi baptismum propter mandatum divinum necessario adhibendum esse docent, attamen ratione mediæ & indigentia nostræ absq; salutis dispendio eo carere posse contendunt. Calvin. l. 4. Inst. c. 15. p. 20. Piscator. sup. c. 3. Matt. Sadeel. comb. Burdeg. p. 87. 58. edit. Gen. & omnes Calvinisæque, quotquot baptismum æquæ signum dant axat internæ ablutionis faciunt, & sanctitatem liberorum ex
nativi-

28. nativitate, atq; immediatam receptionem in fœdere
Dei (quæ secunda media Martyr vocare solet) propugnant.
XXX. Et quia sententiam suam dicto Iob. 3. valde
labefactari per sentiscunt, illud de baptismo aquæ loqui
strenue insciantur; quam vero citra omnem necessi-
tatem imo cum manifesta textus depravatione hoc fiat,
in conflictu petenti ὁ φθάλμιος φανερώς demonstrabi-
tur.

XXXI. 2. Photiniani. Cum enim ὁ δατοβαπ-
τισμὸν præceptum esse negent, & Apostolos eum pro li-
bertate administrasse asseverent, eundem inter res adi-
aphoras censent, imo ut Ostorodi Consilium habet,
tamdiu eam servandum esse, donec Ecclesia pleniorum
lucem hac de re consequatur & sponte omnem baptis-
mum exterminet. Quia vero necessitatem quandam in
dicto Matt. 28. tum ratione mandati tum ratione me-
dii quod præcipitur ipsimet Photiniani agnoscunt, illud
verò non aliter ac de baptismo aquæ intelligendum esse
sufficienter ostendi potest, nolentes volentes concedere
coguntur, quod baptismi administratio non sit libera
voluntatis sed summæ necessitatis.

XXXII. Tandem & de questione. An baptismi rei-
teratio sit necessaria. Fuerunt olim referente Chemni-
tio in Exam. p. 54. qui aliquoties baptismum repeti pos-
senserunt. Marcion cum asseclis ter baptismum susci-
piendum esse suavit; Quidam quotidie iterandum ba-
ptismum contenderunt, cum quotidie peccemus. Vnde
eos ἡμεροβαπτιστὰς vocarunt. Anabaptistæ quoq; nostro
tempore baptizatos infantes denuo baptisant in adul-
ta etate.

XXXIII.

XXXIII. Nos ab his omnibus divortium facimus
& in negativam descendimus partem, hanc prætenden-
tes causam, quod expresso hujus iterationis mandato
destituamur.

XXXIV. Solent Dd. alias afferre rationes, quæ li-
cet α π ο δ ε κ λ η κ ω ς nō demonstrant, quoquo modo tamē
eas hoc negocium probare, non facile quis ibit negatum.
Duum autem sunt generum.

XXXV. Quædam probabiles. ubi 1. est unitas ge-
nerationis unde unitatem regenerationis concludimus.
2. Unitas crucifixionis & mortis Christi in quam bap-
tizamur. 3. Unitas lotionis Ioh. 3. 10. 4. Eph. 4. 6.

XXXVI. Quædam magis necessarie 1. Immutabilitas
divini fœderis. Pactum enim quod in baptismo initur
non est momentaneum, nec fundatum supra arenam
vulgaris regule: Frangenti fidem fides frangatur ei-
dem, sed est perpetuum, ita ut per pœnitentiam ad illud
redire possimus. Gen. 17. 13. 2. Tim. 2. 13. Rom. 11. 29.

XXXVII. 2. Divini mandati absentia. Iterationem
Cœnæ & Christus & Apostolus inculcat: Baptismi non
item.

XXXVIII. 3. Alicujus exempli carentia. Nullum enim
hujus iterationis in scriptura extat exemplum & Apo-
stoli lapsos non ad baptismum sed ad pœnitentiam able-
garunt.

XXXIX. 4. Unitas circumfisionis, quæ ut in aliis ita
& in hoc eandem cum baptismo obtinet rationem &
tandem inutilitas baptismi. Aut enim repetendus ut
lapsi iterum in Ecclesiam recipiantur vel regenerentur
vel confirmentur. Sed non propter illud, quia initiatio

semel

semel peracta semper rata manet, nec desinit esse mem-
bram Ecclesie, qui semel in eam receptus: non propter
istud, quia regeneratio fit per fidem, quae in adultis per
verbum solum accenditur. Rom. 10. 18. non propter hoc
quia cena est sacramentum confirmationis non baptis-
mus. Huc spectat pronunciatum August. l. 2. de bap. cont.
Donat. Pernitiosius est rebaptizari, quam non baptiza-
ri, & Damasc. l. 4. de orth. fid. c. 10. Quicumq; in patrem
F. & S. S. baptisati unam causam in tribus personis edo-
cti iterum baptisantur, hi Christum iterum crucifi-
gunt.

XL. Quamvis Pontificii in hoc assensum nobis pre-
beant, falsam tamen hujus rei asserunt causam nim.
characteris impressionem indelebitem, ut videre est in
Conc. Trid. cap. 11. Bellar. l. 2. de Sac. c. 22. ubi hanc ratio-
nem confirmaturus sic scribit. Si ponatur character per
spicua erit ratio discriminis. Ideo enim quaedam Sacra.
non possunt repeti, quia semel data semper manent in
effectu suo, alia repetuntur, quia non manent nec in se
nec in suo effectu. Sed & haec straminea esse nec omnem
difficultatem tollere posse ita ostendo. Cujus Sacramen-
ti effectus principalis non semper manet, illud est repe-
tendum propter absentiam effectus, quo indigemus. Sed
baptismi effectus principalis non semper manet, qui est
suppressio peccati originalis, (Characteris enim impres-
sio est minus principalis nec adeo fructuosus, quia piis &
hypocritis communis) quod subinde ad dominium re-
dit. E. juxta hypoth. Bellarmin. baptismus repeten-
dus, ut peccatum originis supprimatur & suffocetur
denuo.


Coronidis


Coronidis loco & Calvinianos ab ἀναβαπτισ-
μῷ suspicionē se non posse liberare, si hypothēsin de ba-
ptismo externo & interno sartam tectam velint, ita
demonstro: Quicumq; solum externum baptismum per-
cipiunt, illi tamen partem alteram essentialē & ita
non integrum baptismum percipiunt, parte siquidem
essentiali sublata tollitur essentia tertius. At quidam
infantes & hypocritae externo saltem baptismō, juxta
Calvinianos, abluuntur, interno non potiuntur. E. Ulte-
rius. Quicumq; essentiam baptismi non percipiunt illi
sunt rebaptisandi, quia quicumq; essentiam baptismi
non suscipiunt, ne quidem baptizati sunt. In-
fantes & hypocritae essentiam baptismi
non percipiunt. E.

&c.

Τὸ θεῶν μόνων δόξα.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

REGII
 AMENTIS
 Duodecima
 MI AT.
 d sit unus, necessa-
 reiterandus.
 JEHOVA
 RESIDIO
 RIS MEISNERI
 Magnifici p.t. Rector,
 o examinandam
 onit
 S SHÖNINGIUS
 meranus.
 Octob. boris pomeridianis
 rio minori.
 BERGÆ,
 annis Gormanni,
 I, DC. XX.

